# DE ANTIPHLOGISTICA IN SYPHILIDE CURANDA METHODO.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

*DIE XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXX*

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

**ALBERTUS GROFE,**

MEDICINAE MAGISTER,

POLONUS.

OPPONENTIBUS:

*F. KRAMER,* MED. ET CHIR. DR.

*AE. LAUBER,* PHIL. D. D.

*H. PODOWSKI,* MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS C. F. BRETTSCHNEIDERI.

PATRI OPTIMO,

SUMMA CUM PIETATE IN AETERNUM

VENERANDO,

# ALEXANDRO GROFE,

SUMMO IN REGNO POLONIAE AEDILI, ORDINIS IMPERATORII S. ANNAE II., ET S. STANISLAI III. CLASSIS EQUITI ETC. ETC. ETC.

ET

VIRO

DOCTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

MAURICIO WOYDE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE ALEXANDRINA, SUPREMI IN REGNO POLONIAE COLLEGII MEDICORUM A CONSILIIS, ORDINIS S. STANISLAI EQUITI ETC. ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUO

PII GRATIQUE ANIMI MONUMENTUM

HAS QUALESCUMQUE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

EXSTARE VOLUIT

AUCTOR.

In ejusmodi casu prima omnia sunt quies et abstinentia.

Celsus, Lib. VI. Cap. V. Sect. I.

---

Quum lectis quae de curatione Syphilidis antiphlogistica scriptis mandaverunt clarissimi Angliae medici, maxime laetarem, nunc jam morbum turpem absque diro sanari posse medicamine et jam tempus instaret ubi dissertatio inauguralis mihi conscribenda esset; methodum quae vices mercurii in hoc morbo curando non absque emolumento tenere posse compertum habeo, animus fert describere.

Tempore quo exercitus regis Brittanniarum in Hispania et Lusitania bellum gerebant; qui munere medicorum in hoc exercitu fungebantur in incolis observabant syphilidem absque mercurio feliciter curari, morbumque in iis, breviori tempore absolvi, neque unquam tot tamque gravibus symptomatibus stipari, quam quae in militibus Brittannicis, qui sueto modo mercurii ope curabantur observanda sese praebebant. Fergussonius primus publici ju-

ris fecit observata, quae cum legibus artis hocusque in regionibus septemtrionalibus Europae vigentibus nequaquam congruebant [1]). Rose alius in Hispania stipendia faciens medicus eadem se observasse refert. Ipseque primus mercurium adeo parva quantitate porrigere tentabatur militibus, quae ad sanandum morbum non sufficere existimabatur; quum vero bonus inde eventus esset absque eodem curationem instituere coepit. Observationes vero publici fecit juris anno 1817 [2]). Eodem tempore Guthrie [3]), Thompson [4]) aliique similes nobis mandaverunt observationes. Nunc jam in nosocomiis exercitus Brittannici classisque praecipue in iis quae Doveri, Chatham, Edinburghi existunt, aliisque methodus haec in usum vocabatur. Clarissimorumque ejus gentis medicorum Thompson, Guthrie, Hennen, Hill, Bartlet, Alcock, Sommerville Todd, aliorumque observata scripta leguntur. Sed et antequam haec in Anglia fiebant, prodierat in locum in Gallia libellus cui titulus erat „Sur la non existance de la maladie vénérienne“ auctore anonymo qui principio parvi ducebatur; seriori vero tempore asseclas invenit e quibus notu digni Lefebure, Richond, Robillier,

1) In medico chirurgical Transactions. Vol. IV.
2) Observations of the simple treatment of Syphilis, in Med. Chir. Trans. Vol. 8. p. 349.
3) On the treatment of venereal diseases without mercury. ibid. p. 545.
4) Ibidem.

Jourdan, qui licet opinione experientia minime comprobata ducti, non dari in rerum natura morbum sui generis syphiliticum, morbum simplici modo, methodo antiphlogistica nec absque eventu debellare coeperunt. Non fugebant hoc omnia medicos Germaniae, hi tamen plerumque veteri opinione capti, theoreticis philosophematibus novam methodum debellabant. Novissimis nonnisi temporibus, nonnulli uti Brüningshausen in nosocomio militari Würzburgensi, Fricke in nosocomio Hamburgico hanc methodum in usum vocare coeperunt. Eventusque adeo felix erat ut in usu hujus methodi pergere sibi fas ducerent. —

Ipsam vero illam methodum tribus quae sequuntur capitibus optime exponi posse arbitror: quorum primo de Curatione Affectionum primariarum, in secundo de Curatione Affectionum consecutivarum sermonem faciam, denique in tertio nonnulla quae de hac methodo sentio, illa quam sibi Tironi admodum in arte fas esse modestia duco, in medium proferre est animus.

---

## CAP. I.

## AFFECTIONES SYPHILITICAE PRIMARIAE.

Affectiones syphiliticae primariae auctoribus sunt illae quae in ipso loco corporis cum quo materia inficiens ab extus in contactu erat, oboriun-

tur. Hinc mihi Blennorrhoea Ulcus syphiliticum (Chancre Gallorum) et secundum nonnullos Intumescentiae illae glandularum inguinalium post coitum quae in conspectum veniunt; et auctoribus bubones audiuntur hoc loco recensendi veniunt. Blennorrhoeam vero quia jam longe antea absque mercurio, secundum methodum nostram sanabatur, eamque hoc medicamine nequaquam egere inter medicos jam constat silentio praeteream.

*De ulceribus syphiliticis.*

In partibus quae generationi praesunt, e vesica alba vel nodulo duro dolorifico consuetim 2.3. diebus post coitum natis, ruptis, in conspectum veniunt ulcera adspectu diversissima, quae ab auctoribus syphilitica dicuntur. Nunc marginibus plus minusve duris, reflexis, area rubra inflammatoria circumdata; fundo impuro, duro steatoso incedunt; vel crusta obteguntur; nunc marginibus reflexis quidem omni tamen duritie carentibus insigniuntur. Ulcera haec nunc citius nunc lentius increscunt, nunc in superficie proserpunt, nunc fundum petunt; inflammatio iis varie intensa comitem se praebet, similiter dolor; nonnunquam gangraenosa fiunt, partibusque magnam inferunt cladem, ubi non raro e corroso vase sanguifero profluxus laticis vitalis occurrit. Pus quod in illis excernitur nunc spissum nunc fluidum est; coloris e flavo albidi, vel etiam viridis. Copia ejus consuetim major habetur quam primo ulceris conspectu crederis. Ulceribus denique sanatis super-

stites fiunt cicatrices quae ab illis haud recedunt limitibus quibus praegressa ulcera continebantur.

Curatio. Haec est et universalis et topica. Curatio universalis sequentibus praecipue nititur momentis:

1) Aegrotus per omne fere curationis tempus lectu vel saltim cubiculo detinendus. 2) Initio saltim aut immo donec omnia symptomata inflammationis evanuerint, ulceraque puram adsumpserint speciem, omnis animalis victus ex integro prohibendus; et reliquo curationis tempore nonnisi parcissima quantitate concedendus. Hill [1]) vidisse se asserit haud raro, ulcera quae jam ad sanitatem sese componebant; ex sola corporis erectione per aliquot horas protracta vel nutrimento animali majori quam fas erat copia adsumpto, pejorem speciem induisse quae post aliquot quiete peractas horas, vel diaeta strictiori servata, rursus in meliorem statum mutata conspiciebatur. 3) Diathesi phlogistica praesente vel urgente inflammatione largae sunt instituendae venaesectiones, quae etiam reiterandae suadentur si ita symptomata praesentia, aetas vel vires aegroti voluerint: praecipue vero in casu ubi hic status adsociatur, tumoribus glandularum, phimosi, paraphimosi vel phagedaenicis ulceribus. 4) Initio curationis suadente Hill semper porrigatur medicina purgans e salibus neutris, ol. ricini similibus: quaeque omni

1) Edinb. Med. and surgical. Journ. 1822. p. 572.

septimana semel, bis vel sepius repeti potest. Hamburgi in Nosocomio universali Fricke quotidie salia neutra, prae caeteris Sodam sulphuricam porrigit aegrotis illa quantitate ut inde ternae habeantur depositiones alvinae. Brüningshausen vero nonnisi praesente statu gastrico purgantem medicinam in usum ducendam existimatur.

In curatione topica illa sunt sequenda praecepta quae valent in medela ulcerum omni specifica indole carentium. Generatim sit antiphlogistica. Ubi ulcera obveniunt impura, crustis tecta, circumdata inflammatione aut induratione, cataplasmata emollientia vel anodyna binis vel tribus primis diebus superponenda. In casibus ubi inflammatio in superiori gradu observatur Frickio duce hirudines adplicari possunt.

Ablatis crustis, inflammatione exstincta vel ubi haec parva erat; jam ab ipso initio Angli medici maximam operam conferri, jubent ne unquam siccescant ulcera. Huic proposito satagi potest linteo simplici vel linteo carpto aut aqua frigida, vel tepida vel solutione plumbi acetici, Zinci, vel Cupri sulphurici. Lotionis naturam caeterum parvi faciunt, persuasumque sibi habent, eam nihil conferre ad otiorem vel citiorem ulcerum sanationem [1]). Hill refert, se ulcus, callosis marginibus circumdatum in angulo quo praeputium cum glande jungitur situm, cui aqua frigida simplex adplicabatur

---

1) Hill in Edinb. Medical and surgical. Journ. 1822. p. 574.

per duodecim dierum spatium persanatum vidisse [1]). Ille frequentem vero adplicationem maxime suadet, cum observationibus sibi comprobatum habeat ulcera in quorum medela hanc in rem maxima cura conferebatur, reliquis paribus, eo citius persanata fuisse. Ubi in externa facie ulcera habentur, lintea supra dictis lotionibus imbuta imponantur, superpositis unguentis simplicibus linteorum ope, quibus efficitur, ne lotiones tam cito evaporent rariusque sint repetendae. — Ubi haec ulcera in orificio praeputii habentur, quo in casu consuetim inflammationem hujus membranae comitem habent, suadenda est aegrotis vel maxima cura ne unquam in contactum veniat cum ulceribus urina, quae sanationem impedit, curamque protrahit. Immittendatunc sunt intra praeputium et glandem lintea simplicia vel carpta lotionibus illis imbuta saepeque renovanda externusque eorum finis in externam praeputii faciem retroflecti debet. Ubi vero in interna facie praeputii ulcera adesse credendum sit, ex duritie, inflammatione vel sanie profluenti, cavendum, si praeputium facili ope retrahi non potest, hocce vi perficiatur, ob metum paraphimoseos vel saltim majoris irritationis; lotiones vero illae saepissime repetitae frigidae vel calidae ope seringae injectae, in ejusmodi casu bonae. Externe vero praeputium obvolvatur linteis Aqua saturnina conspersis, eousque

1) Ibid. p. 573.

quo retrorsum antrorsum per glandem facile trahi poterit.

In phimosi et paraphimosi Angli medici medela antiphlogistica stricte adplicata utuntur sueto more, et contendunt, fere nunquam ad operationem recurrendum esse. Cum vero medela haec nihil proprii habeat, abundeque nota sit; eam silentio praeteream.

Datur adhuc species ulceris syphilitici de qua singulatim sermo est faciendus. Est haec illa quae Anglis phagedaenicum ulcus audit quaeque apud Richardum Carmichael nomine ulceris phagedaenici et ulceris exfoliantis descriptum invenimus. Ulcus phagedaenicum sine indurata peripheria est et granulatione, cito procedit, nonnunquam totum penem destruit: sanatum saepe in eodem loco repetitis vicibus occurrit. Consuetim in glande sedem sibi figit, vel a punctulo nigro incipit, conspectum granuli pulveris sclopetarii prae se ferente, quod jam crusta gangraenosa est. Haec increscit eaque delapsa ulcus in conspectum venit impurum, granulatione destitutum quod brevissimo tempore in partes adfines extenditur easque corrodit. Veniunt repente dolores, ulcus livescit, novaque crusta obtegitur: haeque repetitis vicibus scenae recurrunt et apud mares penem, scrotum, perinaeum in sexu sequiori, labia, nymphas, vaginam nates, nonnunquam ne urinariae vesicae quidem parcit, maligna putridine corripit, semperque procedit donec mors atrocissimo malo finem imponat. Haec est quod Carmichael ulcus exfolians adpellavit.

Complicationi huic auctores dispositionem peculiarem in aegroto subesse credunt. Saepissime vero aër impurus, nosocomialis, morbosis effluviis contaminatus, accusandus videtur, quia aegroti hoc morbo correpti cubiculis mutatis mirabile emolumentum inde fèrre solent; tum etiam nimius aëris calor quidquam facere videtur ab gangraenam hanc producendam; saepius enim haec in regionibus calidis quam frigidis observatur. Nonnunquam ulcera quae negligebantur qnae in hominibus erant protractis nimiis laboribus fessis, vel qui baccho venereque abutebantur hunc characterem adsumebantur. Denique nuperrimae observationis docuerunt eam longe rarius obvenire in illis ulceribus syphiliticis quae absque mercurio tractabantur quam in illis ubi hoc medicamen fuerat adhibitum [1]).

**Curatio.** Omnes jam medici conveniunt, in hoc casu mercurium non solum omni utilitate carere sed immo noxium esse. Angli medici ea ducti observatione quod haemorrhagia spontanea ex corroso vase obveniens meliorem statum saepe inducere consuescat, venaesectionem tentati sunt. Neque haec spem fefellit: adeo ut nunc sanguinem mittunt in omni casu ubi habitus nimis debilitatus aegroti id non dissuadet. Hill refert se a medico legionario sanguinem vena, fere incredibili [2]) copia

---

1) Hill l. c. p. 577.
2) l. c. p. 577.

quadraginta ad quadraginta quinque unciarum, sex vel octo horarum spatio, missum vidisse. Semper omnis irritatio febrilis diminuebatur, ulceraque illico proserpere desiverunt; neque inde aegroti nimis debilitati vel exhausti apparuerunt [1]). Post venaesectionem in hoc casu institutam pulsus qui antea saepissime exigui, frequentes, contractique tanguntur, elevari solent, pleniores rarioresque fiunt. Nec unquam negligenda est mutatio cubiculi vel saltim aëris quo aegrotus circumdatur. Diaeta aegroto praescribenda est nutriens, blandis, et balnea ex aqua pura vel salita frigida vel calida. In ulceribus ipsis margines lacerati gangraenosi scalpello vel forficibus cum fructu removentur; adplicari vero debent cataplasmata emollientia et anodyua principio vel praecipue ubi dolor urget, et quidem ex dauco carota, conio, hyoscyamo; tum subacta inflammatione lintea cum aqua saturnina, solutione sulphatis cupri, et zinci, acido sulphurico vel nitrico diluto, vel tinctura myrrhae; quarum modo haec modo illa adplicanda est: frequens enim earum mutatio ad bonum eflectum multum facere videtur [2]). Denique quodsi tractu hujus medelae ulcera indolentia facta sint, flaccidaque vel cicatrizatio haud amplius procedere voluerit magis stimulantia medicamina topice ex re erunt. Optimum in tali casu effectum

1) Hill. l. c. p. 580.
2) l. c. p. 578.

produxisse referunt: balsamum peruvianum, solutionem nitratis argenti, acidum nitricum dilutum terebinthinam, solutionem arsenici Fowleri. Solutio cupri sulphurici, et argenti nitrici non tantum in hoc casu sed etiam tum bona sunt ubi comprimendae habentur luxuriationes quae nonnunquam sub nostra medela obveniunt.

## *De Bubonibus.*

Bubones sunt intumescentiae glandularum lymphaticarum, quae in inguinibus habentur; occurrunt vel in uno vel in utroqne inguine. Consuetim obveniunt praeviis vel adhuc praesentibus ulceribus; tamen non desunt exempla ubi post coïtum bubones oriebantur, sine praeviis symptomatibus syphiliticae infectionis [1]). Haec intumescentiae vel resolvuntur, aut rumpuntur, quo facto ulcus fit, fundo impuro, marginibus duris, reflexis, incedens; nonnunquam obdurescunt; quandoque etiam gangraena corripiuntur.

*Curatio.* Aegrotus quietem servet et si fieri potest situm horizontalem; diaetam exiguam. Topice vero utatur cataplasmatibus emollientibus. Haec medela ad discutiendos bubones saepissime sufficiet. Ubi vero aegrotus plethoricus est, et inflammatio notabilis, sanguis universim et topice hirudinum ope detractus bonum effectum producet. Quum jam hisce praesidiis inflammatio subacta

1) Handschuch. Ueber die Lustseuche. p. 75.

fuerit secundum observationes medicorum Anglorum pressio continua et fortis ope lapidis vel ponderis plumbei linteis involuti, in glandulas tumentes instituta multum facit ad discutiendos bubones nonnunquam ubi jam fluctuatio adest. Consuetim hac pressione dolores sat acerbi proritantur quae tamen brevi tempore ex integro disparere solent; si vero increverint adeo ut ab aegroto non amplius perferri possint, quod facile evenit ubi adhuc inflammatio validior subest, adparatum pressorium removere fas est: nonnullis vero horis elapsis denuo adplicari potest; quo facto dolores consuetim vel minimi vel nulli jam persentiuntur. Hac in medela lotiones antiphlogisticae ex aqua frigida, aqua saturnina similibusque ad resolutionem properandam haud parum facere videntur. Ubi vero his praesidiis intumescentiae haec discuti non possunt, suppuratio ope Cataplasmatum emollientium et fomentationum tepidarum promovenda est; et quum jam fluctuatio, cutisque sat extenuata adparuerit, illico abscessus adperiendus; quod Angli katexochen potassa fusa methodo sueta adplicanda perficiunt; ita ut apertura quam minima sit. Majoris molis bubones bonum est adperire acu cui filum adfixum est :eamque per abscessum a superiore parte versus inferiorem ducere [1]). Ulcera vero inde nata eadem methodo tractentur, quae supra descripta est.

---

1) Handschuch l. c. p. 30.

Nonnunquam bubones indurescunt, vel pro parte solummodo resolvuntur, reliqua parte indurata; hi interdum sponte resolvuntur, quod etiam emplastro cantharidum promoveri potest; ubi vero manent consuetim desorganisatio subest ejusmodi, quae et alius indolis glandularum inflammationes excipit nonnunquam: haec vero intumescentiae nulla aegrotis parant incommoda, neque ulla symptomata secundaria pedissequam habent.

Bubonibus qui gangraenosi fiunt, illa quae ulceribus ejusmodi obponitur medela.

## CAP. II.

## DE SYMPTOMATIBUS SECUNDARIIS.

Symptomata secundaria ea nobis sunt quae in corporis partibus a loco ubi prima infectio fuerat remotioribus, obveniunt. Haec vero adparent aut ulcere adhuc praesente, aut jam sanato: consuetim sex septimanarum tempore, interdum longiori elapso. Haec symptomata ubi mercurius in usum non vocabatur, in faucibus, deinde in cute obveniunt; rarissime in Iride, vel ossibus.

Affectiones faucium occurrunt forma inflammationis erythematosae, excoriationum vel aphtharum quae membranae mucosae pharyngis, amygdalarum, uvulae, veli penduli aliarumque partium insident. Haec ubi affectiones primariae antiphlogistice remotae fuerint, adeo mitia esse solent ut illico gar-

garismata acidula, leniter adstringentia, solutio sulphatis cupri, aluminis in decocto Chinae aut acidum nitricum dilutum ex re erunt. Familiaria etiam sunt medicis Anglis hoc in casu emplastra vesicantia anteriori parti colli adpósitae. Ubi haec affectiones febrili irritatione stipantur, doloribusque vagis in articulis et extremis, sanguis ab Anglis copia açcommodata symptomatum vi, habitu, constitutioni, viribusque aegroti cum fructu mittitur: et salia media ea quantitate ut alvum laxam parent porriguntur. Transpiratio vero cutanea, balneis tepidis, remediis antimonialibus et diaphoreticis anodynis promovetur.

Affectiones cutis eandem prae se ferunt speciem, ac illae quae ex aliis causis originem ducunt: et ut illae referri possunt ad Classes quas Willan constituit: Habentur enim Papulae, Squamae, Exanthemata, Pustulae, Tubercula. Haec eruptiones cutaneae saepissime occurrunt una cum affectionibus faucium. Praeceduntur vel sequuntur irritatione febrili, laevi ustione in palmis manuum, et doloribus obtusis, vagis in capite articulis et extremis. Nonnunquam plures species eodem tempore in eodem homine obveniunt, vel altera cum disparuerit altera venit. Quod vero Carmichael statuere voluit, ut certae nempe eruptionum species constanter certae indolis ulcera sequerentur minime experientia comprobatur [1]). Hae

1) Hill. l. c. p. 586. Cheluis Handbuch d. Chir. §. 747.

eruptiones cutaneae denique ubi pro medela affectionum primariarum hydrargyrum adhibitum non fuerit, sueto more desquamatione terminantur, et vix unquam in ulcerationem abeunt.

Curatio. Servata diaeta quae in ulceribus primariis sanandis descripta est, curatio affectionum cutis eisdem perficitur praesidiis quae supra ad promovendam actionem cutaneam laudavimus. In eruptionibus tuberculosis vel squamosis ubi non raro pruritus aegroto molestias parat unguentum picis, vel unguentum hydrargyri nitrici optimo cum effectu in usum ducebatur. Ubi vero quod rarissimum est pustulae in ulcerationem pronae obveniunt, solutio cupri sulphurici, vel simplex unguentum rosatum vel aliud proficua erunt.

Accedunt hisce adfectionibus cutaneis, illae excrescentiae quae in membrana mucosa praeputii glandis et ani interdum observantur, quaeque nomine Condylomatum insigniuntur. Sueto more symptomatibus secundariis adnumerantur; tamen non desunt casus ubi absque ullo alio symptomate syphilitici morbi praevio incedebant. Haec nonnunquam durae sunt ad instar cornu; modo molles: et diversissimas formas, ficarum, mariscarum aliasque simulant indeque nomen ferunt. Medela topica Condylomatum varia est: quae inflammata sunt, blandibus decoctis et unguentis currentur: quae absque dolore incedunt, duri vel molles aut lapide caustico aut ligatura aut scalpello amoveantur. Quo facto quidem recurrere consuescunt

iteratis vicibus, sed minoris jam molis et denique disparent. Lotiones ex aqua saturnina et cupro sulphurico bonum effectum producunt: et in hac affectione nonnunquam molestissima haud spernenda praesidia sunt.

3) de Iritide. Affectionibus cutis nonnunquam adsociatur hic morbus: sed adeo raro occurrit ubi syphilis absque mercurio sanabatur ut Travers non dubitat potius medicamen quam morbum hanc affectionem oculi producere [1]). Hill semel eam vidit, et nostra methodo adplicata eam sanatam gavisus est. Copiose sanguine universim et topice detracto salina purgantia praescribebat: topice vero fomentationes calidas et anodynas in usum vocavit, et frequentissime extractum Belladonnae circa palpebras adplicari jussit; dein remota jam inflammatione tinctura aquosa vel vinosa Opii utebatur denique vero solutiones Cupri vel Zinci sulphurici binis tribusve vicibus in die oculo inspergendas praescribebat. Hac curatione inflammationem iridis 31. diebus persanavit [2]).

4) de Affectionibus ossium Hic recensenda venit periostitis: haec inflammatio rarissime occurrit in casibus quae methodo supra descripta curabantur. Obvenit vero prae caeteris in illis quae parca copia partium mollium obteguntur, os-

---

1) Travers. on Iritis, in Surgical Essays by Cooper and Travers. T. 1. p. 75.

2) Hill. l. c. p. 588.

sibus: hinc in ossibus frontalibus, parietalibus vel occipitalibus; in sterno, clavicula, tibia. Praeceditur et stipatur doloribus obtusis. Nonnunquam intumescentiae sunt, molles ubi inter periosteum et ossa materies gelatinosa effusa fuerit, vel durae si haec cretacea fuerit. Primo in casu Gummata dicuntur in altero Tophi, Nodi, Exostoses. Haec affectiones ossium praecipue obveniunt in hominibus serophuloso habitu instructis [1]). Curantur vero ab Anglis medicis diaphoriticis antimonialibus, vel anadynis et balneis tepidis. Nec absque fructu vesicatoria loco dolenti imponebantur. Diaeta verò blanda sit et nutriens: corporis situs continuo horizontalis. Observata Anglorum docent, affectiones hasce ossium hac sub medela consuetim mensis curriculo sanari.

## CAP. III.

## NONNULLA DE METHODO SUPRA DESCRIPTA.

Expositis jam generalibus quae in methodo autiphlogistica sequenda sunt: nunc mihi dicendum est qualis se illa in praxi praestiterat usus.

---

1) Hill. l. c. p. 589.

Ulcera primaria hac methodo curata haud longiori tempore indigent ad sanationem quam sub mercuriali medela, nec desunt casus ubi longe breviori tempore persanabantur. Inflammatio et sordida species ulceris consuetim unius septimanae lapsu disparent. Medium vero tempus sanationis est secundum Hill 22. dies, secundum Hennen 25. Non videntur ulcera eo longiori tempore sanari, quo plures iis insunt characteres quae Huntero vere syphiliticum ulcus indicant. Medela protrahitur majori copia ulcerum, validiori inflammatione, habitu aegroti scrophuloso, cura minus sedula aegroti. Neque species lotionis multum facere videtur ad sanationem promovendam; longe majoris momenti est frequens sedulaque earum iteratio: illa enim ulcera in quorum medela hanc in rem major cura conferebatur caeteris paribus longe minori temporis spatio persanari videbantur. Denique non adeo prona inveniuntur ad adsumendam indolem gangraenosam quam ubi mercurius adhibitus fuerit; et curata longe rarius relinquere solent cicatrices duras; hae vero ubi remanserint sueto more sponte disparent neque in ulcerationem abeunt nisi irritata [1]).

Intumescentiae glandularum lymphaticarum hac curatione teste Thomson, Brüningshausen, haud saepius obveniunt quam sub medela mercuriali. In quarta parte aegrotorum ab illis auctoribus

---

1) Thompson, in Rust Mag. p. 132.

visae sunt. Hill in ducenti triginta novem casibus ulcerum in partibus sexualibus diversissimae speciei nonnuisi octo bubones sibi occurrisse refert: in quibus pro maxima parte neglectam munditiem iisdem ansam porrigisse accusat [1]). Illas etiam intumescentias quae ulcera insequebantur Hunterianis characteribus insignita difficiliores sanatu esse, vel saepius in ulcerationem abire negat; Diathesis serophulosa est, quod hoc auctore teste ubi cura protrahitur accusari debet; hanc enim rem quatuordecim casibus sibi comprobatam habet. Phagedaenicae vero adeo raro hac sub medela evadunt, ut Thompson ne una quidem vice talem intumescentiam viderit. Medium denique tempus ad sanandos bubones per discutionem vel supurationem requisitum, teste Hill circa triginta dies versatur [2]).

Symptomata consecutiva saepius quidem inveniuntur ubi nostra medela adhibita fuerit, quam ubi hydrargyrum: secundum Thompson enim unus ex duodecim hominibus; teste Guthrie et Hill decimus, Hennen quintus, secundum Rose unus homo e tribus illis afficitur: denique secundum relata quae exstant a medicis qui exercitus brittannici et classis sanitatem tuentur facta, ex 1940. aegrotis nostra methodo tractatis 96. secun-

---

1) Hill. l. c. p. 584.
2) l. c. p. 585.

dariis symptomatibus afficiebantur: quum ex 2827. aegrotis qui hydrargyro utebantur nonnisi in 51. illae adparuissent.

Tamen semper longe mitiora erant: adeo ut interdum nisi diligentissime instituta inspectione detegi potuerint. Consuetim aphthae erant vel intumescentiae tonsillarum; vel eruptiones cutaneae quae tandem medelae blandae quam descripsimus mox cedebantur. Affectiones vero ossium vix unquam obveniunt. Ubi in conspectum venerunt mercurius pridem porrectus fuerat: et hae denique nostra medela sanatae suspicionem movent, has affectiones non morbi sed diri medicaminis sequelae fuisse [1]). Hinc vidimus hanc ob symptomatum secundariorum frequentiam, methodum nostram non esse damnandam; nam adeo mitia sunt, et remotu facilia, ut respecta aliorum commodorum quae hac ex methodo redundant haud magni facienda videantur. Sanantur vero secundum illa relata spatio temporis 28—45. dierum, cum illae quae post medelam mercurialem obveniunt vix unquam ante 45. diem persanari possunt; neque constitutio aegroti diro medicamine contaminata superstes manet. Denique sunt casus ubi maxime patet emolumentum quod hac ex methodo ferre valemus illi nempe ubi aut peculiaris aegroti inest erga hydrargyrum idiosyncrasia vel habitus scrophulosus aut phthisicus ejus usum ve-

1) Hill. l. c. p. 587.

tant. Tum nostra medela praebet medico praesidium quo morbum cum fiducia debellare potuerit. Quum vero jam experientia constat omnem morbum syphiliticum etiamsi non adhibeatur hydrargyrum tuto jucundeque hac quam proposuimus methodo sublevari posse, omnis medicus id vel maxime sibi religioni ducat, ne porrigat quae cladem perniciemque adferunt corpori, mitioribus eadem cum perficere valeat.

## CURRICULUM VITAE.

Ego Carolus Henricus Albertus Grofe, Evangelicae addictus Confessioni, natus sum Plocciae, Regni Poloniae oppido palatinali, die 25. mensis Decembris anni MDCCCIV patre Alexandro Grofe, nunc summo in regno Poloniae Aedili, matre Eugenia e gente de Tolkemit, quos adhuc vivere et vigere admodum laetor. Primis litterarum initiis domi imbutus undecimum jam annum agens Gymnasii quod Plocciae floret, infimo ordini adscriptus sum. Annum 12. agens cum Parentibus Varsaviam veni, ibique partim in Lycaeo, partim in Gymnasio quod in longa via floret scholasticis studiis absolutis anno aetatis undevigesimo, civibus Universitatis Varsaviensis me ut studio Medicinae operam navarem,

adscribendum curavi. Ibique per legitimum quinquennium professores habui viros doctissimos, de Hoffmann in Mineralogia, Schubert in Botanicis, Jarocki in Zoologia, Skrodzki in Physicis, Kitajewski in Chemia, Szyrma in Philosophia, Rolinski in Anatomia, arte cadavera rite dissecandi, nec non Anatomia comparata, Mile in Physiologia et Diaethetica, Celinski in Pharmacia, Pharmacologia et Chemia forensi, Szczucki in Pathologia materia medica et historia rei medicae, Tomorowicz in Toxicologia, Fialkowski in arte obstetricia et exercitationibus in Clinico obstetricio, Woyde in Medicina forensi Politice medica et morbis epizooticis, Janikowski Clarissimo Dybek defuncto in Chirurgia theoretica, in Akiurgia et Clinico chirurgico Nowicki; denique in arte formulas medicas concinnandi, Therapia et Clinico therapeutico Ill. Freyer nuper defunctum moderatorem habui. Examine deinde coram Inclyta facultate medica Varsaviensi feliciter superato die XXI. mensis Novembris Anni MDCCCXXIX Magistri Medicinae gradum obtinui. Quo facto externas visendi gentes cupidine ductus Berolinum veni, quo hocusque moram gerens cum in florente hic cele-

berrima Universitate litteraria Friderica Guilelma, Doctoris Medicinae et Chirurgiae gradum desiderarem, hocque scopo tentaminibus et rigoroso examine feliciter superatis hanc quam conscripsi dissertationem et theses publice defensurus sum. Quo facto spero fore ut in me summi in Arte mea honores conferantur.

## THESES DEFENDENDAE.

### I.

*Ventriculum ad vomitum nihil facere autumo.*

### II.

*Hydrophobia inflammatorius est morbus.*

### III.

*Syphilis absoluto proprio decursu sponte sanari potest.*

### IV.

*Torsio arteriarum, amputatis membris, ligaturae nunquam est praeponenda.*

### V.

*Amorem sic dictum platonicum, morbis mentis adnumerandum esse puto.*